

EPISTVLA DEDICATORIA

alias de expertis in praesenti habui, in hunc librum contuli. cupio enim  
 medius fidius, qua possum, tuae in me tam perseveranti benevolentiae  
 respondere adiutus omni tempore a te, praecipue vero istis diebus. ut pri- 13  
 mum enim potuisti, non es passus cessare tuae erga me pietatis officium  
 5 tradendo scripta mea Latina medicinalia deo nostro Caesari, quorum po-  
 testatem tibi feceram, ut ipse prior legeres simpliciterque indicares mihi,  
 quid sentires: plurimum enim iudicio tuo tribuo; tu porro candidissimo  
 animo et erga me benevolentissimo diligentiam meam sub tanti nominis  
 editione non verbis, sed re probasti periculumque non minus tu iudicii  
 10 quam ego stili propter me adisti, quo tempore divinis manibus laudando  
 consecrasti. fateor itaque libenter unicas me tibi gratias agere, quod et 14  
 prius quam rogaveris consummasti amicissimo affectu vota mea et quod  
 contigit mihi favore plenissimo tuo maturiorem percipere studii huius mei  
 fructum ac voluptatem. ignosces autem, si paucae visae tibi fuerint com-  
 15 positiones et non ad omnia vitia scriptae: sumus enim, ut scis, peregre  
 nec sequitur nos nisi necessarius admodum numerus libellorum. postea  
 tamen, si et tibi videbitur, ad singula quaeque vitia plures compositiones  
 colligemus. oportet enim copiam quoque earum selectam haberi, quoniam  
 revera quaedam quibusdam magis et non omnes omnibus conveniunt  
 20 propter differentiam scilicet corporum. quarum initium a capite faciemus 15  
 (summum enim et quasi primum locum hoc obtinet) dantes operam, ut  
 simplicia prima ponamus: interdum enim haec efficaciora sunt quam ex  
 pluribus composita medicamenta. erit autem nota <X> denarii unius pro  
 Graeca drachma: aequae enim in libra denarii octoginta quattuor apud  
 25 nos sunt sicut drachmae apud Graecos incurrunt. primum ergo ad quae  
 vitia compositiones exquisitae et aptae sint, subiecimus et numeris no-  
 tavimus, quo facilius quod quaeretur inveniatur; deinde medicamento-  
 rum, quibus compositiones constant, nomina et pondera vitiis subiunximus.